



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 28. Papa Wormatiæ deponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.
A.C. 1076.

§. XXVIII.

Papa WORMATIÆ deponitur.

Lambert.
p. 234.

vit. Greg.
6. 7.

Rex præstituta die, scilicet Dominica Septuagesimæ, vigesima tertia ejusdem mensis Januarii, WORMATIAM diligenter se contulit, quo etiam Episcopi & Abbates maximo numero convenerunt. Cardinalis Hugo quoque Regis consilio opportunissimus adfuit. Eum nuper, quod mores exhiberet dissolutos, & Simoniacis faveret, a Papa depositum, ab Archiepiscopo Ravennate illuc missum fuisse, conjicere pronum est. Afferebat vero conscriptas fabulas de vita & educatione Gregorii VII. eandem nempe, ut arbitror, Historiam, quam Cardinalis Benonis nomen præferentem habemus. In ea referebatur, ex qua profapia editus esset, quibus moribus a puero fuisset, quibus fraudibus ad Sedis Apostolicæ culmen fuisset eluctatus, & tandem quæ ante Papatum, quæ post Papatum acceptum memoratu quoque incredibilia flagitia commisisset. Hæc ex Scriptore Historiæ Lamberto. At Hugo Cardinalis literas præterea reddidit nomine Cardinalium, Senatus & populi scriptas querelis contra Papam plenas, quem deponi a Rege petebant, atque alium eligi. Adjecit Hildebrando cum multis hostibus, cum Normannis, cum vicinis

nis Comitibus, cum pluribus Romano-
rum rem esse.

Sæculum XI.
A. C. 1076.

Præsules Wormatiæ congregati Hu-
gonem Cardinalem, tanquam virum de
cælo missum exceperunt, ipsiusque au-
thoritate nixi pronunciarunt, Hildebran-
dum Papam esse non posse, nec ei ullam
potestatem ligandi aut solvendi ulterius
esse concessam. Cui sententiæ omnes
Episcopi licet plerique inviti subscripserunt,
solis duobus Episcopis Adalberone
Herbipolensi & Hermanno Metensi ali-
quamdiu repugnantibus & dicentibus,
incongruum valde & contra Canonum
Scita esse, ut Episcopus aliquis absens
condemnaretur, nedum Romanus Ponti-
fex, contra quem nec Episcopi cujus-
quam recipienda esset accusatio. Sed
Guilielmus Trajectensis * Episcopus, qui
causam Regis pertinacius tuebatur, ve-
hementer imminebat, ut aut cum cete-
ris in damnationem Papæ subscriberent,
aut Regi, cui sub jurejurando fidem spo-
pondissent, protinus renunciarent. Nam
Guilielmus eo tempore Regi admodum
carus acceptusque erat, cui Rex omnium,
quæ privatim vel publice agenda erant,
curam delegaverat, viro sæcularibus li-
teris apprime erudito; sed fastu nimio
inflatus vix se ipsum ferebat.

Bruno Bell.
Saxo. p. 122.

* Utrecht.

Rex epistolas ad omnes Longobar-
diæ & Marchiæ Anconitanæ civitates
vit. S. An-
milit, / selm.

Sæculum XI. A.C. 1076. *mist, jubens ut ubique condemnatione*

Luc. n. 13.

Conciliabulum Wormatiense.

Bruno Bell. Saxo. p. 122. *Chron. Magd. M. S.*

Papæ subscriberetur, atque hæc provincia cuidam Germano, nomine Eberhardo, demandata, cumque Episcopi illarum regionum alias Gregorium odissent, Patriæ congregati super Sancta Evangelia jurarunt, se Gregorium Papæ loco non amplius habere, missisque Nunciis alioquoque ad idem Jusjurandum edendum compulerunt. Henricus Rex datis ad Clericos Populumque Romanum literis agebat: *Tunc subditi populi vere fideles dici merentur, cum non minus Domino suo absenti, quam præsentis fidem servant. (*) Porro compertum nobis est, fidem nobis juratam vobis durare incussam, rogamusque, ut eo animo perseveretis, amici amicis nostris, & inimici inimicis, quibus Hildebrandum Monachum manifestis indicis accensimus. Cognovimus enim, quod Sedem Apostolicam invaserit, oppresserit, & Reipublicæ Ruinam machinatus fuerit. Id ex epistola bis adjurata*

(*) Ex eo, quod Henrico, electo Imperatori, Jurisdictio temporalis in Romanos subditos esset, non sequebatur, quod ipsi Romanos omnesque Fideles ad deponendum Romanum Pontificem incitare liceret. Sed major culpa in Episcopis Simonizæ reis aut Clericorum incontinentium fautoribus, quam in Rege Henrico fuisse videtur.

sta dispicietis. Hic inserta erat Regis ^{Sæculum XI.}
 epistola ad Hildebrandum data in se- A.C.1076.
 quentem modum: *Patris affectum expe-*
ctanti mihi, & tibi in omnibus obsequen-
tissimo, relatum est, indignantibus, qui
mibi subditi sunt, populis, quod te ipso
acerbiorem inimicum non haberem. Tu
me honore a Sacra Sede debito privasti, tu
peffimis usus artibus Regno Italiae me de-
turbare molitus es, tu Episcopis non peper-
cisti, & venerabiles Sacerdotes modis in-
dignis violasti. Cum tantam insolentiam
dissimularem, quod prudentiae & patien-
tiae meae beneficium erat, timoris & igna-
viae effectum esse existimasti, mibique au-
sus es scribere, quod mihi, Regi tuo, &
Regnum & lucem hanc adepturus, aut
vitam in ipso conatu positurus esses. Ita-
que ut tantae audaciae consilium non in-
utilibus verbis, sed factis reprimerem,
omnes Regni mei Optimates, ut id ipsum
facerem me rogantes, convocavi. In eo au-
tem conventu talia de te manifestata sunt,
quae antea timor & pudor commemorare
prohibebat. Denique demonstratum, quod
ex ipsorum literis dispicies, te Apostoli-
cae Sedis honore omnino esse indignum.
Ego eorum sententiam, quae mihi justa &
aequa videbatur, amplexus sum; jamque
ultra te Papam non agnosco, sed auctori-
tate mihi tanquam Patricio Romanorum
competente tibi praecipio, ut ex hac Sede

Sæculum XI.
A.C. 1076.

descendas. Rex deinde in eadem epistola sermone iterum ad Romanos directo ait: *Ergo exsurgite in rebellem, & qui ex vobis mihi fidissimus est, eum omnium primus damnet. Non peto viri sanguinem, nam deposito vita morte gravior obtinget. Id solum impero, ut indignum de Sacra Sede dejiciatis, in quam alius, quem vestro omniumque Episcoporum consilio adhibito elegerimus, evebatur.*

An Rex de-
poni possit.

Addita erat & alia Regis ad Papam epistola, in qua præter convicia vix quidquam novi legitur. Exprobrat præcipue, quod Episcopos contemptui habuisset. Affirmat, se non Papæ, sed soli Deo Regnum suum in acceptis referre; juxta Patrum traditionem supremum Principem nullum nisi Deum habere judicem, & ob nullum crimen deponi posse, nisi Fidem abjiciat. Unde sequitur, si Henrico Regi, vel potius Episcopis, hujus epistolæ auctoribus, credimus, Principem a Religione deficientem jure deponi posse. (*) Epistolas Concilii Wormatiensis non habemus, sed similia ac ea quæ retulimus continebant. Denunciabatur

(*) Fleurius hoc ultimum non approbans, sed rejiciens notat. Ceterum si aliquis Christianorum Regum ita Religionem abjiceret, ut publice ad Paganismum vel Judaismum deficeret, credibile

batur Papæ; cederet Pontificatu, quem ^{Sæculum XI.} refragantibus Ecclesiæ legibus invalisset, ^{A.C. 1076.} sciretque, cunctos nulla & invalida habituros, quæcunque ex illo die decerneret. Hæ literæ commissæ sunt cuidam Clerico Parmensi, nomine Rolando, qui ea industria iter instituit, ut pridie quam Papa Concilium ad primam Quadragesimæ Septimanam indictum inchoaret, Romam pervenerit.

Itaque ubi Concilio initium datum fuit, Rolandus Parmensis intrat, & epistolas Regis Conciliique Wormatiensis Papæ reddens, *Rex Dominus meus*, inquit, *omnesque Ultramontani & Italia Episcopi te Sacram Sedem, quam usurpasti, ocius dimittere jubent.* Tum conversus ad Clericos Romanos ait: *Indico vobis, Fratres mei, in Festo Pentecostes Regem adeundum esse, a quo Papam accipietis, cum iste lupus rapax non Papa sit.* Tunc Joannes Episcopus Portuensis de sede exsiliens clamare: *Capiatur, vinciatur temerarius!* moxque Præfectus Urbis militesque strictis gladiis in Rolandum irruunt, in ipsa Ecclesia Salvatoris, ubi Patres Synodice collecti erant,

bile est, fore, ut si non de jure, quia Superiorem non habet, saltem de facto deponeretur, populo Regem, non amplius Christianum, abominante.

Sæculum XI. erant, miserum interfecturi. Sed me-
A.C. 1076. dius intercessit Pontifex, suoque corpo-
 re trepidantem tegens, vivum serva-
 vit.

Tum imperato & utcunque reducto
 silentio Gregorius: *Filii mei! nolite Ec-
 clesie pacem seditione turbare. Advene-
 re illa tempora periculis plena, de quibus
 dicit Scriptura: erunt homines se ipsos*
 2. Tim. 3. 1. *amantes, cupidi, superbi, parentibus non
 obedientes. Necessè est, ut veniant scan-
 dala, dixitque Dominus, se mittere nos
 tanquam oves in medio luporum. Ergo
 simplices & mansueti simus sicut columba
 & prudentes sicut serpentes. Neminem
 oderimus, & homines insanos, Legem Di-
 vinam contemnentes, toleremus. Satis
 diu pacem habuimus, nunc vero vult Deus
 messem suam sanguine Sanctorum suorum
 rigare. Comparemus animos ad sustinen-
 dum Martyrium, si opus sit, & nihil nos
 a charitate Jesu Christi separet.*

Omen tenemus manibus nostris, quod
 victoriam portendit, quam Deus Ecclesia
 suæ concessurus est. Erat vero hoc omen
 Gallinæ ovum, prope Basilicam S. Petri
 repertum, in cuius latere serpens cum
 gladio & scuto, operis anaglyptici instar,
 eminebat, qui cum ad apicem ovi elu-
 ctari velle videretur, ad partem infimam
 revolvi cogebatur. Hoc ovum Papa
 Concilium auspicatus ostenderat, ad-
 dens

dens explicationem mysticam, quam ^{Sæculum XI.} ~~conclisit~~ ^{A.C.1076.} in hunc modum: *Nunc igitur Verbi Divini gladium arripiamus, amputemus serpentis caput, & Ecclesiam ab opprobrio vindicemus. Nimia est patientia nostra.* Totum Concilium in Papæ sententiam ivit, profitentibus omnibus, se pro causa Dei & Ecclesiæ mortem subire paratos esse. Tandemque statutum, Henricum Regia Dignitate exuendum esse, atque cum omnibus consciis anathemate feriendum.

§. XXIX.

Henricus Rex Romæ deponitur.

Altero die Papa, postquam epistolas Re- ^{Lamber.} ^{Greg.} ^{to. 10. Conc.} ^{p. 356.} gis nomine sibi redditas recitari iussisset, contra eundem Sententiam excommunicationis protulit in hæc verba:

Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina aures tuas ad servum tuum, quem ab infantia nutritivisti & usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me oderunt, quia tibi fidelis sum. Tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, Beatus Paulus frater tuus, & omnes Sancti, quod Ecclesia Romana me invitum ad sua gubernacula traxit, cum ego vitam in exilio finire maluissem, quam ingenii humani fraudibus sedem tuam occupare. Quia vero tua gratia licet immeritus eam obtinui, credo, quod tibi placeat, ut
popu-